

integrè, qvamvis non ita valde. Mitius proinde ad auctæ magnitudinis affectus, (veluti *Excellentiss. Fac. Pancr. Bruno* in *Lexico Castelli renovato sub voce obesitatis* facit) habitum, vel neutram conditionem retentur nostrô judicio, qvia genus hoc non ita simpliciter involvit morbificam constitutionem. Alioquin autores variant in obesitatis definitione constituenda. *Rod. à Castro de morb. mulier: part. 2. l. 3. c. 3. p. 233.* inquit: Obesitas est morbus in magnitudine impediens coitus operationem, sæpe etiam est symptomat, qvoniam solum pulchritudinem laedit. *Platerius in observat. l. 3. p. 545. & 547.* sub affectibus corpus deformantibus, illiqve incommodantibus complectitur, etiam crassitiem corporis, aliosqve illius tumores præter naturales. *Gabr. Fallopius in operum tom. 2. tr. 10. c. 3. obesitatem,* similiter refert ad pulchritudinis naturalis detectum vel turpitudinem, qvâ proportionem vel quantitatem partes corporis excedunt, vel præter modum auctæ sunt. *Hier. Mercurialis de decorat. c. 6. p. 16. & 17.* dicit, crassitiem laedere pulchritudinem & actiones. Atqve ideò autor *l. a. p. 22.* pronunciat, obesitatem esse symptomat, qvoties solum pulchritudinem & formam laedit; morbum autem, qvoties non solum pulchritudinem, sed & alias actiones offendit. Pariter illud innuit *Petr. Laurembergius in pacicompse c. 6. p. 54.* qvòd obesitas oblitteret pulchritudinem, nec sanitati sit commodo. Sic *Petr. Forestus lib. 31.* agens de fucis & affectibus cutis, vel qvi externam corporis formam deturpant, *cap. 10. p. 60:* illis accenset etiam obesiatis curationem; præter qvæ testimonia plura jam in illud assertum accumulare desino. Referunt etiam qvidam obesitatem ad morbum figuræ, qvod tamen minus commodè fieri ostendit *Mercurialis l. a.* Laudatus Dominus *Bruno* in *dogmat. med. part. 2. c. II. §. 6. p. 283. &c.* nimiam pinguedinem vel obesitatem reducit ad symptomata excernendorum, qvæ præter naturam retinentur; plus enim succi nutritii sive sangvinis qvàm decet, retineri dicit; revehi enim debere nutritiam reliquam materiam lege circulationis sangvinis arbitratur. Innuit etiam illic autor, qvòd morbida qvæpiam constitutio diversò considerandi modò ad plures classes affectuum præternaturalium referri possit, & qvidem interdum ad morbum, causam